



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 74. Lusitani Regis indignatio contra Papam, ejusque Nuntium Apostolicum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

§. LXXIV.

Sæc.XVIII.  
A.C. 1728.*Lusitani Regis indignatio contra Papam, ejusque Nuntium Apostolicum.*

Jam supra meminimus, Joannem V. Lusitaniæ Regem ob Purpuram Bichio denegatam tam gravi exarsisse iracundia, ut non modo Comitem de Melo suum apud Sedem Apostolicam Oratorem Roma revocarit, sed etiam ipsum Josephum Firaum, quem Papa Bichio Romam revocato Pontificium Nuntium subrogabat, intra quinque dies ex urbe excedere, & intra decendum toto Regno abire die decima quarta Martii juss erit. Insuper firmum fixumque habebat, omnes natione Italos e cunctis suis ditionibus expellere, hujus tamen consilii executionem præpediebat Regina, quæ has turbas pertæsa datis ad Papam literis rogabat, ut ad tollenda hæc dissidia & præcavenda majora mala se Regis petitioni magis facilem præberet. Afulserat quoque exigua tamen reconciliationis spes, dum Rex ipsum etiam Bichium harum contentionum Auctorem e Regia ad Montem Majorem exulare juss erat, quem nihilominus levi morbo correptum, ipsius sua prætentia

Sæc. XVIII. sentia honorabat, eumque de Regia  
A. C. 1728. benevolentia & patrocinio certiorem  
reddens, ad commodiorem locum  
transferri curabat: Totam vero in-  
dignationis molem Rex exonerabat  
in Firaum Papæ Nuntium; cum enim  
hic insuperhabito Regis mandato ad-  
hucdum in Urbe subsisteret, Rex per  
suum Secretarium ei denuntiari præce-  
pit, ut intra quadraginta horas Ulyssi-  
pone, & sexto abhinc die universa Lusita-  
nia emigraret. Percepto hoc mandato  
Nuntius responsi loco prolixum edidit  
scriptum, in quo primum adversam  
obtendebat valetudinem, & postea de-  
clarabat, se sine Pontificis, cui soli  
parere teneretur, jussu legationem di-  
mittere haud posse; Apostolicis quoque  
Constitutionibus excommunicationis  
pœnam esse sanctam in eos, qui Pon-  
tificium Nuntium ex Catholico Regno  
deturbarent, proin se confidere, tantam  
ejus Personæ injuriam non sine gra-  
vissima populi offensione haud illatum  
iri, sed potius expectandum esse respon-  
sum summi Pontificis, ad quem jam-  
jam Tabellarium veredariis equis able-  
gasset: Attamen ad hæc Nuntio per  
Didacum de Mendoza in responsis da-  
tum, ut rupta omni mora Regis man-  
dato pareret; hunc enim neminem su-  
periorem se in suo Regno agnoscere, &  
com-

communatum anathema hoc in casu Sæc.XVIII.  
locum non habere, aliunde vero ipsum A.C. 1728.  
non esse summi Pontificis Legatum,  
sed duntaxat privatum Præfulem no-  
mine Firao, tali autem censuras, præ-  
cipue hac in caufa, vibrandi jus nul-  
lum esse, quo circa intra vigintiquatuor  
horas Urbe, ac demum toto Regno  
excederet, secus sibi meti ipsi imputaret,  
si inde vi expelleretur: Nuntius igitur,  
cum se nec rationibus nec minis quic-  
quam proficere cerneret, eadem ad-  
huc die ad Hispaniæ fines concessit,  
telico scripto, in quo Didacum de  
Mendoza per viscera misericordiæ  
Christi obtestabatur, ut Regem suum  
ad mitiora inclinaret consilia, se vero  
ob illatam hanc violentiam excommu-  
nicatum sciret. Hæc ubi compererat  
Rex, ira commotior edictum promul-  
gari jussit, vi cuius omnibus Lusitanis  
tam Ecclesiasticis quam Laicis inhibi-  
tum, ne ad ditiones Pontificias con-  
tenderent, vel diutius in iis moraren-  
tur, minus vero ab ipsomet Pontifice  
aut a Superioribus ab eo dependenti-  
bus mandata, Brevia, Bullas, vel alia  
similia peterent, aut reciperent, illi  
vero, qui Pontifici subjecti essent, nulla  
mora e Lusitania excederent, nec illuc  
deinceps accedere præsumerent: insu-  
per prohibitum, ne ullæ merces ex di-  
tione

Sæc. XVIII. tione Pontifica in hoc Regnum in-  
 A.C. 1728. veherentur. Nec hic stetit Regis in-  
 dignatio; quippe comperta proxima  
 Cardinalium inauguratione, Ulyssipone  
 in Ecclesiis Italæ Nationi propriis se-  
 des & Baldachina pro Nuntiis Apo-  
 stolicis erecta auferri, & Lusitanos Præ-  
 sules, qui ferme soli Romæ adhuc sub-  
 stiterant, Pisciottum, Almeidam,  
 Gambam, & Roboredum unacum Lo-  
 pesio prædivite Campore ex ditione  
 Pontificia emigrari jussit. Ipsus quoque  
 Ulyssiponensis Patriarch. ab hac tempe-  
 state haud immunis erat; cum enim  
 hic in epistola Pastorali typis edita præ-  
 cipue de Catholicorum subjectione sum-  
 mo Pontifici tanquam supremo Capiti  
 debita fusius ageret, & ceteri Clerici  
 ad ejus exemplum pariter eandem  
 obedientiam ceu principalem fidei Ca-  
 tholicæ articulum e suggestu fidelibus  
 inculcarent, hoc comperto Rex Pa-  
 triarcham non modo asperrimis verbis  
 objurgabat, sed eidem quoque signifi-  
 cari præcipiebat, eum absdubio, si  
 similia impostorum tentaturus esset,  
 custodiæ dandum, sibi ergo caveret,  
 ne sine Regii Ministerii approbatione  
 scriptum quoddam ederet, in ceteros  
 vero Ecclesiasticos exacte inquireti, & si  
 rei invenirentur, eos, tanquam rebel-  
 les ad Lusitanæ fines relegari jussit.

Tan-

Tandem Bichius tot turbas propter Sæc. XVIII.  
se concitari pertæsus, datis ad Papam A. C. 1728.  
literis suam agendi rationem vindicare nitebatur: Recepérat quoque re-  
sponsum, quod ei publicus Notarius  
tradere jubebat. Summa Pontificiæ  
epistolæ erat hæc: „legitime citatus  
Rōmam veniret, ac sese Sedi Aposto-  
licæ humillime submitteret, secus cen-  
sūris Ecclesiasticis mulctandus: Ad  
hæc respondit Bichius, se Pontificis  
iussis obtemperare paratissimum esse,  
prīus tamen id Regi manifestandum:  
Ast hoc ipsum Notarius Pontificis no-  
mine inhibuit. Brevi tamen ad Regis  
aures pervenerat mandati Apostolici  
notitia, quapropter Notarius in car-  
cerem detrusus, & Bichio severe inhi-  
bitum est, ne sine Regis venia Regno  
excederet: exēunte tamen hoc anno  
ipse facultatem obtinuit, ut cum Al-  
dobrandino Pontificio apud Hispanos  
Nuntio hac super re acturus Madri-  
tum contenderet, ubi etiam die  
decima quarta Decembris advenit,  
per honorifice exceptus. Nec tamen  
resedit Joannis Regis ira; Hic enim  
anno sequenti edictum promulgavit,  
vi cuius omnium, qui neglecto ipsius  
mandato Romæ persisterant, bona  
proscripta, & Musici natione Itali,  
quamvis Regina eis suum promisisset  
patro-

Sæc. XVIII. patrocinium, e Lusitania ad Hispaniæ  
 A.C. 1728. fines abducti, & sub severissimis pœnis  
 redire prohibiti sunt, Clericis quoque,  
 qui Ulyssipone Italicæ Ecclesiæ deser-  
 vierant, inde depulsis, Monachi, ut  
 fundationi satisfacerent, subrogati fue-  
 re, quinimo Romæ a Nationis Lusita-  
 næ Ecclesia ad S. Antonium Regis  
 jussu insignia Lusitana abripiebantur,  
 Cardinali Cienfuegos Administro Cæ-  
 sareo consignata.

Hæc dissidia tandem componere  
 statuit Benedictus Pontifex pacis stu-  
 diosissimus, eaque de causa particula-  
 rem Cardinalium Congregationem in-  
 stituit, ut ibidem de opportunitis firmæ  
 reconciliationis mediis ageretur: Ad-  
 hibebatur etiam ad consilium celebris  
 quidam Ecclesiasticus patria Lusitanus,  
 nomine Almeida, qui magnam con-  
 cordiæ spem fecerat: Quorumdam o-  
 pinio eo abibat, Legatum a Latere,  
 qui huic dissensioni finem imponeret,  
 Ulyssiponem esse decernendum; oppo-  
 nebant tamen alii, Sedis Apostolicæ  
 honorem in discrimen adduci, si forte  
 Rex hunc Legatum repudiaturus esset:  
 Unanimi ergo consilio decretum est,  
 Apostolicis literis Ulyssiponensi Cardi-  
 nali de la Motta esse injungendum, ut  
 Regem, opitulante Regina, ad æquam  
 trans-

transactionem permovere adlaboraret: *Sæc. XVIII.*  
Verum incassum fluxerant omnia, *A.C. 1728.*  
Rege firmum fixumque habente, quod ~~████████~~  
cum Aula Romana nullum habere ve-  
lit commercium, nisi Bichius Cardi-  
nalium Collegio accenseretur: Mortuo  
etiam Benedicto XIII. Rex Lusitanis  
Cardinalibus Romanam ad sacra comitia  
proficisciendi copiam denegavit. Af-  
fulserat quidem electo Clemente XII.  
haud modica reconciliationis spes, quæ  
tamen mox evanuit, postquam hic  
Pontifex neglecto Bichio Viennensem,  
Parisiensem & Madritensem Nuntios  
die secunda Octobris Romana Purpura  
decoraverat, & Bichium Romam ve-  
nire jussérat. Paruit equidem hic Nun-  
tius Papæ jussis, & Barcinonensi portu  
solvens, Mense Junio Anni 1731. Li-  
burnum pervenit, ibi tamen subsistere,  
nec Romam venire permisus est. Tum  
vero perdemissas ad Papam dedit lite-  
ras, quibus ad miserationem commo-  
tus Pontifex, hoc dissidium tollere sta-  
tuit, ac cedendum ratus, die vigesi-  
ma quarta Septembris Bichio in Car-  
dinalem nominato, Regem feliciter  
placavit.